



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Comparatio inter Aristotelis, & Platonis opinione[m]. Cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

*Comparatio inter Arist. & Platonis
opinionem.*

CAP. XIII.

Hoc in loco cōspicue patere potest, quàm inaniter laborent, qui Arist. cum Platone conciliare nituntur: nam in attinentibus ad sedem animæ, in plurimis re vera dissentiunt. Primò ab Arist. carpitur Plato in 2. de partibus animal. cap. 7. quia asseruit cerebrum esse medullam: cùm tamen medullæ, & cerebri oppositum sit temperamentum. Sed ad hoc dicendum censeo, Platonem latè vsu fuisse nomine medullæ: cerebrum dicitur medulla, ratione similitudinis, & alicuius conuenientiæ; quatenus intra os continetur, & initium est medullæ dorsæ: propterea etiam apud Galenū medulla triplex ponitur: prima cerebri; secunda spinæ, quæ cerebri quædam est propago, vt dicitur in 10. de Placitis Hippo. & Platonis; tertia ossium reliquorum. Insuper carpitur, cùm in cerebri medulla Plato videatur collocare facultatem animæ cognoscentem: ideo inquit Aristot. in 2. de part. animal. cap. 7. Nullam verò cum partibus, quæ vim habent sentiendi, continuationem habere cerebrum, cùm intuitu patet, tum maximè inde constat: quòd cùm tangitur, nullum efficit sensum; quemadmodum nec sanguis, neque excrementum vllum, &c. Ad hoc respondeo pro Platone, cerebrum non ita esse sedem, vt cerebrum cognoscat, &

sentiatur: manifestè enim Plato de auditu loquens dixit voces per aures, cerebrumque, & sanguinem transire ad animam, & ita sentiri; solum dixit medullam esse veluti agrum, in quo diuinum semen iaceretur, ob causam supra relatam. Insuper arguitur Plato, quatenus semen ex medulla, medullamque ex semine oriri dixit: aduersus quem inquit Arist. in 2. de partibus animalium: Medulla natura quædam sanguinis est; non, ut quidam volunt, vis generaturæ feminalis: patet hoc in his, quæ nuper in lucem prodierint; medulla enim in ossibus quoque eorum sanguinea continetur, &c. Sed leuis est instantia Aristotelis: quia quamuis medulla ex semine fiat, non tamen fit sine sanguinis concursu; per quem crescit, & sanguinea in ortu conspicitur. Insuper, cum Plato dicat semen esse medullæ defluxum; profectò non Platonis solum, sed etiam modo aliquo Hippocratis ante Platonem fuit ea sententia, ut manifestè patet ex lib. eius de semine. Carpitur quartò ab Arist. Plato in tertio de anima; quia animæ appetitiones diuisit, & in variis corporis partibus varias collocavit; appetitum alimenti in iecore; appetitum vindictæ, honoris, & similia, in corde; voluntatem, in cerebro. Pariter carpitur, quod loco seiunxerit partes animæ. Sed facilè est Platonem tueri: nam Plato non propriè secreuit partes animæ, sed solum seiunxit instrumeta, ac insuper partes imaginis animæ; ac demum secreuit imaginem,

ginem, siue idolum animæ, à propriè sumpta
anima. Et quòd Plato non propriè se creuerit
partes animæ, ex eo præsertim constat; quia
animam cēsuit esse in quauis parte totam. Sic
rectiùs Plato vim nutriendi collocauit in epa-
te, quàm fecerit Arist. qui eandem in corde es-
se positam censuit. Postremò, ex sententia Pla-
tonis, membrum præcipuum absolutè, est ca-
put, ideò diuinissimum nuncupatur; ex opi-
nionè Aristot. membrum præcipuum, & sedes
absoluta animæ, est cor. Nam Plato ad propriè
sumptam animam respexit, non ad idolum, &
imaginem eius; Aristot. è contra vnum ab
altero non distinguens, & præser-
tim ad idolum, & vmbra re-
spiciens, à Platone re-
ctè sentiente dis-
sentit.

L 3

